

ORATIO.

Deus, qui ad salutarem pauperum eruditionem, ac dandam parvulis scientiam, beatum Joannem Baptistam confessorem excitasti, et novam per eum in Ecclesia familiam collegisti : da eos, quæsumus, qui christianam instituunt infantiam, ejusdem semper exemplis insistere et intercessione proficere. Per Dominum etc.

*Ad Matutinum.*

HYMNUS.

*Alma quem Sion, ut in I. Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de scrip. occurrente. In Feria II. et IV. Rogat. Beatus vir. de Comm. 2. loco.*

*In II. Nocturno.*

LECTIO IV.

Joannes Baptista de la Salle, Societatis Fratrum Scholarum Christianarum institutor, Rhemis ex claro genere ortus, se præstitit adhuc puer in pietatem pronum, a sæculi illecebris omnino alienum. Audire et narrare Sanctorum gesta, dogmata Religionis edoceri, litanti Sacerdoti ministrare, pueris in choro canentibus jungi, hæc fuerunt tenellæ ejus ætatis deliciæ, quæ jam innuebant ipsum in sortem Domini esse vocandum. Puerum videre erat mitem docilemque apud magistros, commem cum sodalibus, sedulum in addicendis litterarum rudimentis. In Universitate Rhemensi, ubi philosophiæ operam dedit, carus pariter ob virtutes

animique dotes magistris et æqualibus ; a quorum tamen societate abstinere solitudini pietatisque operibus vacaturus. Annum agens decimum septimum clericali corona decoratur, et mox Canonicatu in Ecclesia Metropolitana insignitur. Lutetiam Parisiorum deinde missus, ut ad theologicas disciplinas animum converteret, in Seminario Sancti Sulpitii commoratus est, ubi quaque excelluit regularum custodia, contemptu fluxarum mundi rerum, humilitate, comitate, cæterisque Cleri virtutibus. Parentibus orbat, in paternam domum revertitur, ut fratrum sororumque educationi incumberet. Neque tunc tamen reliquit sacram theologiam, cujus curriculum partim Rhemis, partim iterum Parisiis complevit.

R. Honestum.

LECTIO V.

Sacerdotio demum auctus, aram conscendit seraphicæ velut caritatis igne flagrans. Nec unquam in eo tepuit divinus ille ardor pietatis : quotidie enim sacrum fecit non modo sanus, sed et adversa valetudine fractus, semperque tanta religione, ut non raro qui aderant, a meliorem frugem revocati discederent. Et quoniam noverat Sacerdotis esse animarum salutem studere, non distulit operam suam in id conferre cum omni quidem prudentia, humilitate, patientia et doctrina. Scholarum ab Infante Jesu nuncupatarum, quas Director suus instituerat ad puellarum pauperum educationem procurandam, et caritati suæ commendaverat, regimen suscepit, easque prudentissime moderari cœpit, strenue easdem defendens ab oppugnationibus, calumniis et insidiis adversariorum. Hujusmodi experimentis et laboribus divina providentia servum suum accingebat ad